DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TABE MESENTERICA.

Auctore Henrico Lucas.

"Nutrimentum se ipsum non concoquere, nec in partes distribuere, nec alendi partibus assimilare."

Galen. *Method. Med.*

A primis corporis fundamentis jactis ad lineam vitæ usque ultimam, compago humana mutationem semper subit. Ob secretiones diversas dispendium corporis perpetuum fit, quod ingesta iterum compensant. Hæc, autem, antequam tali consilio inservire possint, haud parum mutationis postulant. Scite Van Swieten ait: "Certissimum est, quod constemus illis, quibus nutri-

mur, sed materies quæ nutrit, præparatur in corpus ut nutriat; hinc ingesta sola ad hanc rem non sufficiunt, sed requiritur actionum naturalium integritas, ut fiat assimilatio ingestorum in naturam nostram, et restituantur illa, quæ vitæ actuositas abstulit." Rebus sic se habentibus, in aperto erit, quod, hujus materiæ nutrientis formatione, vel in systema generale transitu, aliquo modo, obstructo, non potest esse, quin mala maxima metuenda sint; eoque majus periculum adfuerit, quo majoris momenti organum sit cujus functiones impediantur.

Inquisitione minuta et accurata in naturam chyli ipsius, et organorum secernentium plurimorum, quæ ad eam faciendam et elaborandam necessaria sunt, prætermissa, ad id glandularum mesenterii vitium, cui nomen Tabes Mesenterica imponitur, respicere statui. Causas ejus diversas, quæ cadavere aperto videntur, et sententias auctorum de hac re varias, cum rationibus medendi diversis, exponere conabor.

Primo, igitur, ad umbrationem levem harum glandularum, ut sese in statu sano habent, proferam; deinde cum iis, quæ in sectione cadaveris conspiciuntur, componam.

Mesenterium ea peritonæi duplicatura est, quæ cum intestinis nexum habet, et vasis sanguinem vehentibus, nervis et absorbentibus, hæc intrantibus et exeuntibus, inde commeatum præbent. Inter has plicas, et adipe circundatæ, jacent glandulæ mesenterii. Figuram habent ovalem; molles sunt, et tenui membrana obtectæ. CRUICKSHANK eas numero circiter 130, et in sano statu, etiam in homine adulto, vix unquam molem amygdali superare affirmat. Chylus has glandulas permeans, aliquam mutationem subit; sed hac re, nondum inter physiologos constat. Quidam harum usum præcipuum esse, chylum diluere, alii spiritus animales cum eo commiscere crediderunt. HEWSON globulos sanguinis centrales ibi formari putabat; et hæc quidem sunt SYLVII: "Inserviunt alias glandulæ receptui humorum crassorum quos si attenuaverint in vena deponunt, ut, aut sanguini reliquo permisceantur iterum, ubi debellati, aut sanguini tantum confusi cum excrementis excludantur, ubi in alimentum abiri nequeunt. Sin ipsos attenuare nequeunt, eos tum acervant, ubi plurimi chronici morbi ortum ducunt." Variæ conjecturæ præterea prolatæ sunt, neque fautoribus saltem quibusdam ca-

ruerunt. A numero glandularum et constantia, eas alicui usui præcipuo, in chylum ad sanguinem faciendum aptum reddendo, inservire, non potest fieri quin credamus. Quotiescunque vero hæ glandulæ morbo implicantur, structura, simul, moles et aspectus, multum mutantur. Colores varios adipiscuntur, aliæ albescunt, aliæ cinereæ fiunt, nonnullæ colorem nigrum fere appropinquant. Structura quoque interna haud parum mutatur, penitus mollitur, parsque interior ad substantiam quasi coagulatam vertitur; nonnunquam etiam ad suppurationem tendit. Doctor Baillie verbis sequentibus conditionem glandularum mesenterii strumosam, in infantibus sæpe accidentem, depingit: "When affected by this disease, the glands exhibit different appearances according to its progress. They are enlarged in their size, and are often softer to the touch than in their natural state. When cut into, they sometimes shew very much the natural structure, but more frequently changed in part into a soft curdy matter, and this not unfrequently mixed with pus." Interdum ad magnitudinem ingentem augescunt. Affirmat Paræus, "quod in cadaveribus eorum qui scrofulis laboraverant, in-

venerit glandulas mesenterii tumidas, variæ magnitudinis, sic ut quædam pugnum æquarent, et in quibusdam inveniretur gypsia materia, in aliis vero purulenta." De Haen exemplum quoddam tradit, ubi mesenterium ob glandulas morbosas libras triginta ponderatum est. Haller de his glandulis locutus, hæc habet: " Non alibi in corpore humano frequentius scirrho locus est, et steatomatibus etiam lapideis concretionibus, ut omnino dudum eorum tumor et scirrhus pro causa peculiaris atrophiæ infantilis habiti sint."

In his exemplis mesenterium fere semper densatum reperitur, et cuncta quæ videntur inflammationem diuturnam subfuisse arguunt. Præter hos glandularum aspectus, sæpe tubum intestinorum ulceratur, et multum contractum, et aliquando partem aliquam introsusceptam conspicimus, tunica mucosa tota inflammationem vetustam exhibente. Hepar et lien nonnunquam flaccida inveniuntur; in nonnullis vero prorsus firma, semper tamen ampliata, et sæpissime notas inflammationis monstrantia. Renes structuram sanam ostendunt, meatus vero et vesica eandem speciem, quod ad tunicam mucosam attinet, ac tubus intestinorum, præ se ferunt. Hinc fortas-

se sæpe ea dysuria, quæ a Doctore Baillie aëri in intestino recto conflato et collum vesicæ comprimenti collata est, oritur. Cerebrum, præsertim in hujus morbi exemplis cum rachitide conjunctis, afficitur; effusio, enim, sæpe fit in ventriculos. Affectiones quoque pulmonum et aeris meatuum adsunt, quæ inflammationem produnt. Tabes mesenterica a Doctore Cullen, in sua Nosologia, quasi species Scrofulæ, cui nomen Scrofula Mesenterica imponitur, in classe "Cachexiæ" et ordine "Impetigines" ordinata est, et talem recipit definitionem: "Scrofula Mesenterica simplex interna, cum pallore faciei, inappetentia, tumore abdominis, et fœtore fæcum insolito." In hac affectione ulterius indaganda, eam a morbo telæ mucosæ oriri inveniemus. Ab omnibus morbis acutis ortum deducere potest, quibus infantes obnoxiores sunt, quoniam in illis omnibus tela mucosa plus minus plectitur, et haud raro sedem morbo præbet. In signis primi stadii recensendis, inter febres remittentes, vitia intestinorum et cohortem similium versaremur. Hæc, autem, interea præteribo, et ad morbum ipsum, in stadio ultimo et gravissimo contemplandum, progredior. Aspectus vultus peculiaris, oculus

demissus et vitreus, insigne aciei oculorum et vultus generalis acumen, candor faciei, et quidem corporis universi, indicia sunt in hoc malo præcipua, et si cum tumore et conditione abdominis tympanitica, partium extremarum macieque conjunguntur, ejus naturam non proferre nequeunt. Glandulæ multo majores fiunt, et in ægro valde macie confecto per integumenta tactu percipiantur, tumores nodosas inæquales efficientes. Status alvi variat; at morbum incipientem hujus functionibus turbatis plerumque, et inflammationi tunicæ mucosæ quæ intestinis obducitur, referre possumus. Et tela profecta mucosa in omnibus partibus hoc morbo insigniter affici videtur. Sic dyspnœa, dysuria, aspectus linguæ floridissimus, aphthæ ad angulos oris, et perpetuam membranæ Schneiderianæ irritationem, sæpe in eodem ægroto simul conspicimus. Dr Bateman eruptionem echthymosam symptomaticam memorat, nonnunquam in statu cachectico accidentem, qui rubeolam, interdum scarlatinam et variolam sequitur. Sic loquitur: "It is accompanied by hectic fever, laborious respiration, and swelling of the glands; and is attended with extreme pains and soreness, sometimes with a tedious slough-

ing in some of the larger pustules, which, in children particularly, are productive of considerable distress." Dejectiones alvi quod ad colorem multum mutantur, et quodammodo colorem limosum referunt, odorque fœtidus est, et secretiones diversas affici plane monstrat. Exhalatio per cutem fere si non omnino supprimi videtur, et cutis ipsa valde arida est et aspera, cum desquamatione cuticulæ. Appetitus cibi variat; sæpissime modum superat, neque ideo ad valetudinem generalem sustinendam conducit, sed potius viscerum obstructionem, ideoque turbationem corporis universi functionem auget. Proclivitas ad caput impetu aucto ferri sanguini semper inesse videtur, unde ea indicia hydrocephali, quæ in hoc morbo adeo sæpe sese produnt, fortasse oriuntur. Hujus ratio reddi potest, a sanguinis transitu per abdomen partesque extremas glandulis amplificatis impedito, ideoque copia ejus majore per caput delato.

Infantulus laborans valde morosus et ingenii difficilis est, sæpeque e somniis subsilit et vehementer ejulat: validæ distensiones nervorum comitantur nonnunquam, præsertim si ægerulus quidvis concoctu difficilius prius ingerere permissus

fuerit; vix ullum inter noctem somni desiderium est, tunc, enim, temporis febris exacerbationes habet. Typhi hectici est, pulsu ad 110 vel 120 surgente. In exemplis quæ ad finem lethalem spectant, hæc signa omnia in pejus ruunt. Tumefactio tensioque abdominis augentur; febris constitutionalis magis ardet; macies velocissime progreditur; cutis fit arida et tactui aspera; partes extremæ frigescunt, vires ægri cito deficiunt, et tandem convulsio et mors finem miseriis imponunt.

Quoniam inter morbi decursum tela pulmonum mucosa afficitur, facies sæpe livescit; quod pariter ac partium extremarum macies circuitum humorum generalem morbo corripi plane monstrant; dum dolor acutus, tumefactio statusque tympaniticus abdominis, hujus viscera morbosa facta esse indicant; quod, quidem, ulterius a magno beneficio, ex usu leniter laxantium percepto, comprobatur. Doctor Hamilton, in suo libro de Usu Purgantium, marasmum his bene cessise dicit; unde hoc deducere æquum est, fæces accumulatas quasi corpus extraneum agere, membranam mucosam intestinorum irritare, et demum inflammationem inducere, quæ ad glan-

dulas serpit, eorumque organorum structuram lædit. Hæc signa plerumque a statu alvi turbato incipere invenimus, quæ in exemplis mitioribus, si ad ea sub initium attenditur, mitium laxantium exhibitione levantur et superantur. In his autem exemplis gravioribus, quæ sæpissime inter pauperes observantur, ubi ad malum parum attenditur, donec valetudo immedicabiliter affecta fuerit, symptomata inflammationem subesse plane indicant, quod prorsus cadavere secto confirmatur. Dr Cheyne, dum Atrophiam Ablactorum depingit, vix ullum signum memorat, quod non in hujus mali initio accidit, et membranam intestinorum mucosam affici non indicat. Descriptio talis est: "The first symptom is purging, with griping pain, in which the dejections are usually of a green colour. When this purging is neglected, and after continuing for some time, there is added a retching, with or without vomiting. These increased and painful actions of the alimentary canal, produce a loathing of every kind of food, and are naturally attended with emaciation and softness of the flesh, with restlessness, thirst and fever. After some weeks, I have often observed a hectic blush on the cheek;

but the most characteristic symptom in this disease is a constant peevishness, the effect of unceasing griping pain, expressed by the whine of the child, but more particularly by the settled discontent of his features, and this expression of discontent is strengthened towards the conclusion of the disease, when the countenance has shared in the emaciation of the body." De dejectionibus ait: "They are sometimes of a natural colour, at other times slimy and ash-coloured, and sometimes lienteric." Infantes habitus strumosi huic vitio proniores credere videtur; cujus opinionis talem rationem reddit. Quando infans nimis subito ab lacte depellitur, cibus intestina nimis stimulat, unde fit bilis profluvium, quæ sua acrimonia alvi fluxum continuat. Sic hepar ad talem conditionem redigitur, ut ad suas functiones solitas sive naturales peragendas, stimulis amotis, redire nequeat. Sic bilis acrimoniæ stimulum causam proximam statuit. Minime vero ab his secretionibus auctis causam morbi petere oportet. Effectus sunt potius quam causa. Lumen novum et splendidum istarum affectionum pathologiæ affulsit, quod omnium indi-

ciorum rationem lucidam reddere, et veram morbi ipsius naturam monstrare queat. In membrana mucosa intestinorum sedem hujus mali, et in ejus inflammatione causam, quærere oportet. Inflammationem revera subesse non modo a conditione vasorum injecta, sed etiam a plurimis ulcerationibus per totum tubi intestinorum spatium patentibus, lucide constabit. Ab hac parte telæ mucosæ inflammatio quoquoversum serpit, unde affectiones glandularum et jecinoris profluunt. Baumes ait, "Parmi les malades dont le caneau est le plus souvent le suite, je compte la diarrhée opimatre." Amplificatio glandularum mesenterii et mesocoli in adultis post dysenteriam, hanc sententiam prorsus confirmant.

Ex causis, quæ ad hoc malum proclivitatem efficiunt, debilitas constitutionis congenita ex frequentissimis esse videtur, et quando eæ causæ excitantes adeo numerosæ inter pauperiores accidentes adjuvant; morbum adeo gravem esse vix omnino erit mirandum. Dr Armstrong ita loquitur: "Perhaps in civilized society no human being is born with all his organs in a perfect condition. Some local weakness or other

probably always exists in the complicated machine; and when the balance and harmony of health are disturbed by any general shock, the local weakness is then most liable to be apparent. 'Raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet,' is an observation Celsus made about 2000 years ago; and as it is founded on nature, it will be as immutable 2000 years hence as it is at present, so superior is fact to conjecture." Constitutio debilis in infantibus consuetudini nocivæ, in omni societatis gradu, frequenti meconii per laxantia dejiciendi, sæpe referenda est; membrana, enim, mucosa tenera ita affecta inflammatio ejus texturæ vetusta, et denique morbus, de quo hic agitur, induci queant. A lacte nutricis depulsio quoque causa sæpe est, cibo mutato, et ideo secretionibus ad agendum in eum institutis, mutatis, major sanguinis impetus efficietur, qui, aliqua causa excitante, veluti cibo concoctu difficili, admota, inflammationem in ea parte accendet. Cuncti auctores, qui hoc argumentum adhuc scrutati sunt, diathesin strumosam quasi causam hujus mali præcipuam, recensuerunt. Hæc non ab aliquo sanguinis vitio peculiari, sed a conditione laxa cutis et texturæ

mucosæ meatibus obductæ, oriri videtur. Glandulæ in partibus istis, a causis excitantibus, præsertim frigore, affici obnoxiæ evadunt. Hæ agunt inflammationem vasorum has glandulas adeuntium excitando, et abscessus glandularum superficialium, et tubercula vomicasque in pulmonibus, et tabem, quando abdomen aggrediuntur, efficiendo.

Causæ quæ hoc vitium excitant, omnes sunt istæ, quæ functiones canalis alimentorum turbare valent. Hinc sæpius inter pauperiores accidit, quorum liberi, cunctis tempestatis cœli vicissitudinibus objiciuntur. Illas subitas caloris et frigoris vices congestionem ciere oportet, in organis naturalibus, et in vasis abdominis majoribus; quæ, præterquam quod secretiones necessarias impediat, sæpe, reactione subsequente, inflammationem excitat. Membrana mucosa frigore insigniter affici videtur; sic pedibus madefactis diarrhœam, cum aliis irritationis intestinalis notis, supervenire sæpe videmus; et tussis et catarrhus symptomata sunt inflammationem naturæ subacutæ indicantia. Quod ad gradum et vehementiam attinet, variis rebus externis dirigitur, veluti diversitate constitutionis et ulla causa

prædisponente. Sic nexum et commeatum inter catarrhum simplicem et intestinorum inflammationem persequi possumus. Has partes morbo corripi functionesque earum turbari non mirum erit, si in memoriam revocamus farinam avenaceam et vegetabilia cruda magnam partem diætæ juniorum, in hac regione præsertim, constituere; hæc præcipue per organa concoctioni inservientia agunt; horum enim functionibus ita turbatis, secretiones vitiantur, unde debilitas et macies oriuntur. Hic morbus, alias præsertim exinanitiones suppressas, et eruptiones repulsas, nulla humoris detractione compensante instituta, subsequi sæpe observatur. VOGEL, dum de causis loquitur, hæc habet, "Itemque repulsa scabies, tinea et achores." Perspicuum est hoc in iis accidere, qui aliquamdiu cuivis sanguinis profluvio subjecti fuerunt. Copia sanguinis ad profluvium sustinendum sufficiens formatur, neque tamen a massa generali sanguinis ad systematis usibus inserviendum instituti derivatur. Si vero usu medicamentorum externo malum repellitur, neque circuitus æquilibrium aliqua humoris detractione compensante sustinetur, ea sanguinis copia, quæ exinanitionem suppleverat, in massam generalem

impingitur, et plenitudo universa inducitur. Et siquando actio cordis et arteriarum aucta fuerit, si quovis in loco, præ cæteris debilitas vel obstructio sit; ibi loci inflammatio sese prodet, quoniam non potest esse, quin vis aucta ventriculorum, turbationem topicam, plus sanguinis eo mittendo, adaugeat. Hoc a conatibus naturæ plane monstratur; sæpe enim post tales evacuationes suppressas, diarrhœam, hæmorrhagias, ulcera, profluvium humoris ab auribus, observamus. In infantibus et puerulis habitu pleniore et valetudine robusta, quibus sanguificatio in prompta est, haud raro inflammationem intestinorum vel pulmonum et aëris viarum, post eruptiones repressas, accidere conspicimus; dum contra, in debilibus quorum functiones concoctionis multum turbantur, sanguis facilius, ad ea organa quæ jam debilitata sunt, impetu devehitur, mucosa membrana citius vel serius afficitur, et hinc malum in glandulis incipit. Hæc conditio glandularum morbosa fere semper exempla pertussis diuturna et lethalia comitatur. Post multa quoque exanthematum accidit, siquando iis fuerit aliqua diuturnitas, et signa congestionis. Hoc vitium quoque in hydrocephalo occurrere interdum videmus,

et profecto plus minusve in omni morbo, in quo functiones concoctionis impediuntur.

Quidam morbi sunt, qui cum Tabe Mesenterica confundi possunt; sed, ut jam supra annotatum est, hi cuncti ab eadem causa proxima, inflammatione, scilicet, membranæ mucosæ, oriuntur, ideoque symptomata præcipua, magna ex parte, similia esse oportet. In stadiis, tamen, ulterioribus, sæpe haud parum diversa eveniunt. Ex his morbis paucos jam memorabo. Vermes in intestinis imprimis notabiles sunt. Hoc vitium inter juniores frequentissimum est, ætas enim ea isti maxime obnoxia est, proclivitate annis progredientibus minuta. Vermis qui sæpissime reperitur Lumbricus est, et quoniam ejus indicia ab iis cæterorum discrepant, per se recensebo.

Multa symptomata cum hoc malo communia habet; veluti, conditionem intestinorum turbatam, abdomen tumefactum, partes extremas macie confectas, appetitum abnormem; diagnosis, autem, a dejectionibus alvi post exhibitionem purgantium exploratis, tunc, enim, nonnulli ex vermibus sæpe eliminantur; ex somno saltu; dentiumque stridore, quæ fortasse vermibus ma-

gis propria sunt, constitui potest. Hydrocephalus in stadio priori cum hoc morbo confundi queat, præsertim cum utrique ex iisdem causis, ut jam supra monstratum est, oriuntur. Inflammationem quoque aliarum intestinorum tunicarum, cum malo de quo agitur, commiscere facile est; sed plerumque dolor sub pressu augeri observatur, et alvus non solita copia medicamenti purgantis movetur. Major vomitus quoque fortasse adest. Febris infantum remittens quod ad aggressus similis est, et quoniam hic pariter ac cæteri omnes morbi juniorum intestina infestantes, ab eadem causa proxima inflammatione, nempe, membranæ mucosæ intestinorum, oriuntur, fieri nequit, quin symptomata, quadam ex parte saltem, inter se invicem similia fiant; quamvis rebus diversis circumstantibus variari nonnihil queant. Affectiones hujusmodi sæpe in junioribus simul cum symptomatis Rachitidis accidere videntur.

Multæ causæ excitantes horum utrumlibet excitare possunt, qualia sunt, domicilium frigidum humidum, aër impurus, mala nutritio, et multa ex indiciis in rachitide conditioni glandularum morbosæ referri queant; cætera vero discrimina adeo

manifesta sunt, ut unus pro altero vix haberi valet. Affectio glandularum pars est tantummodo magnæ generalis turbationis qua corpus laborat. GAITSKILL, auctor recens, diagnosin inter tabem et morbum quemdam cui nomen "*spinal consumption*" ille imponit, facile reddendam esse affirmat; ita loquitur: "In Tabes there is great abdominal fulness, mucous stools, with hectic fever and emaciation; whilst, in spinal consumption, the bowels are flat and wasted, so that the pulsations of the aorta may be felt through the abdomen."

Prognosis in hoc morbo omnino caute dicenda est. In exemplis plerisque, quam maxime infausta est; malum, enim, sæpius diu progredi permittitur, antequam medico conspiciendum occurrit. Signa sequentia exitum felicem pollicentur: conditio tympanitica abdominis decrescens; accessiones febris minus vehementes, ideoque somnus minus turbatus; infans ipse non adeo morosus ut ante; partium extremarum calor et firmitas aucta; color faciei melior; appetitus æqualior; præcipue conditio secretionum melior, aspectu dejectionum, colore earum proprio et fœtore de-

missis, indicata; cutis minus aspera, sudoresque frequentes lenes. Sed contra, omnino, si infans morosior evadit, si macies progreditur cito, accessionesque febris graviores fiunt; si abdomen tensius evenit et tumidum; si somnus frequentibus nervorum distensionibus turbatur, aliaque symptomata infausta adsunt, exitum morbi infelicem metuere oportet.

Jam ad partem argumenti nostri maxime momentosam perventum est, Quomodo, scilicet, hujus vitii lethalis aggressus effectusque malos evitare possimus. Hanc partem bifariam prosequar. 1mo, De consiliis prophylacticis, quando morbum incipientem esse suspicamur, dicam; et, 2do, De rationibus mali superandi, postquam constitutioni plane insederit.

Ut morbo progredienti, igitur, obstemus, causam proximam, inflammationem, scilicet, texturæ mucosæ tollere, corpusque ab omnibus causis, tam iis quæ proclivitatem dant, quam ab iis quæ revera malum cient, incolume præstare oportet. Inter priores jam debilitatem constitutionis congenitam, quasi proclivitatem ad morbum insigniter efficientem, memoravi. Quoniam hæc non

semper penitus arte amoveri queat, nihilominus, quantum in nobis situm est, huic defectui mederi, viribusque constitutionis, omnibus quæ debilitant, submotis, opitulari debemus. Quum vero malum a causis oritur, in quas aliquam potestatem imperiumque habemus, eas, antequam inveterascant, tollcre decet. Infans quam citissime in aëra puriorem, si fieri potest, ab aëre urbis minus salubri, in rus removeri debet, vel saltem exercitatio sub Jove pleno quotidiana, si vires ægeruli patiantur, præcipienda est. HIPPOCRATES ait, "Cibi enim et labores adversas inter se potestates mutuo tamen ad sanitatem conferentes, habent, labores namque ea quæ adsunt solent consumere, cibi vero et potus quæ vacuata erunt replere." Nutriculæ fideli, ut objectio humiditati aëris, vel subitis tempestatis vicibus evitetur, infans committendus est. Ad diætam imprimis respicere oportet, quæ ex rebus concoctu facillimis constare debet, ut obstructio prohibeatur, et, quantum fieri potest, affectio intestinorum tollatur; dum simul, ne fæces in canali intestinorum congerantur, leniter laxantibus exhibitis, elaborandum est. Si dolor ullus abdominis, calorve superficiei adfuerit, hirudines sæpe

epigastrio admovere decet. Talibus rationibus institutis, sæpe morbo progredienti obsistere et eundem compescere valemus, idque nonnunquam postquam aliquamdiu perstiterit. Haud parva copia sanguinis per morsus hirudinum effusa, sudor profusus, quem diaphoretica solita elicere nequiverant, sæpe sponte accedit. Quum vero morbus ad stadium secundum pervectus fuerit, quamvis vix spes ulla superesse videatur, nostrum certe est, quantum possumus, fatum urgens morari et avertere. Ad hoc consilium peragendum, functiones cutis et canalis alimentorum restituere conari debemus. Inter signa supra recensita, conditionem cutis insigniter aridam et asperam, ex defectu totali secretionum naturalium, memoravi. Hujus causa manifesta actio est morbosa, quæ sanguinem a superficie ad organa interiora pellit. Ad hanc conditionem cutis superandam, balneum calidum tam utilissimum quam usitatissimum remedium est, et ad æquilibrium circuitus maxime idoneum reperitur. Ubi hoc usurpatur, boni effectus in aprico sunt. Præterquam quod exhalationem per cutem promovet, vi haud exigua soporifica quoque pollet. Quando consilio votisque omnino respondet, corpus ægri a balneo receptum

et siccatum, sudore leni diffunditur, et quamvis totas noctes insomnis et turbatus degerat, jam demum in somnum quietum et minime interruptum incidit. Hoc remedium infantibus præcipue accommodatum esse videtur; in his, enim, ob functiones concoctionis velociter peractas, organa, quæ huic usui insigni inserviunt, penum sanguinis copiosum et constantem postulant; si igitur, copia solita a causa quavis negata fuerit, ad aliquas ex partibus vicinis naturæ confugiendum est, et præ cæteris organis momenti fortasse majoris ad cutem. Quoniam per cutis exhalationem sæpissime vires constitutionis sese ab ulla minus idonea sanguinis coacervatione liberant, si hæc quoque malo generali implicata fuerit, periculum multo magis instat; ideoque ut ejus functiones sanas restituamus, summis viribus laborandum est. Frictiones summis digitis vel pannis laneis calefactis effectum balnei calidi plurimum adjuvant. Præter frictiones solitas, viri antiquiores aromaticis pannisque vapore succini refertis inter morbi decursum utebantur. Altera curationis indicatio magna est functiones canalis alimentarii sanas restituere. In signis recensendis, quatenus morbus ab inflammatione

pendere possit, jam supra exposui; et, re sic se habente, nunc quomodo ea medicamina, quæ vi sua in visceribus præcipua pollent, in hoc morbo agere queant, observandum est. Portiones parvæ laxantium, subinde sumptæ, quodvis irritamentum ibi collectum et generalem ægritudinem augens tollendo, magnam utilitatem præstabunt.

Doctor HAMILTON hoc malum a conditione canalis alimentarii inerti et debilitata, constipatione inde inducta, oriri opinatur. Hæc non semper usu laxantis nonnunquam, superabilis est; sæpe actionem talium medicamentorum repetitam et continuatam postulat, donec secretiones nihil amplius abnormes sint, et status intestinorum sanus recipiatur. Ad intestina stimulanda et contentis liberanda, talem rationem Dr HAMILTON persequitur; et sic loquitur: "I find these ends are best accomplished by giving small doses of the purgative medicine which I employ, and by repeating them frequently, that the latter dose may always support the effect of the preceding. When the bowels are once opened, stronger purgatives, given at longer intervals, will accomplish the cure." SYDENHAMUS non talem consuetudinem comprobavit, imo etiam frequen-

tem hujus morbi causam usui nimio purgantium referebat. De hac re ita dicit: "Quamvis enim haud negandum est, ex impuritatibus liberent ea et pariter e massa sanguinea humores noxios in ea stabulantes extrahant; e, contra, tamen, haud nimis certum est, quod frequenter repetita in corporibus imbecillibus plurimum officiant. Atque id demum accidit, ut istæ partes, præ imbecillitate et caloris naturi, jam sub humorum onere quasi obruti, defectu, tabe facile adjiciantur et putrescant. Quandoque etiam œconomia viscerum ob causas jam dictas penitus eversa, glandulæ præternaturales strumæ soboles et id genus similia mesenterio adcrescunt, et ad mortem viam sternunt." Simul usum tonicorum et cardiacorum, cum frictionibus super abdomen ex unguento aromaticis compluribus, cum vino rubello constante, laudat. Ratiocinationem illius, quadam ex parte, sanam esse a scriptis recentibus De Broussais plane constat; jam, enim, bene compertum est, quod, secretionibus aliquamdiu motis, impetus sanguinis efficiatur, inflammatioque tunicæ intestinorum mucosæ inducatur, et inde morbus glandularum profluat. Minime vero, ob eam rem, usus eorum medica-

mentorum æstimabilium penitus prætermittendus est, quoniam exhibitio illorum bene instituta sanationem multum promovebit. Ad lectum ægri symptomatis supra memoratis laborantis, arcessiti, a parvis dosibus Jalapæ vel Scammoniæ vel fortasse potius Rhei cum Submuriate Hydrargyri, per intervallo repetendis, donec aliquot dejectiones copiosas effecerint incipere, debemus. Si intestina valde mobilia sint, enemata usitatissima cum circiter ℥ij. Olei Ricini, subinde, purgantibus, utiliora fient. Si multum tympanitidis adfuerit, ℥j.–ij. Olei Terebinthinæ additæ, eam allevare reperientur. Ægerulus in balneum calidum quaque nocte secunda imponendus est ; parvæ doses Solut. Tartrat. Antimon. ad humores cutem versus dirigendos, utiles sæpe erunt. Si quando sub pressura ullus abdominis dolor oriatur, hirudines epigastrio admoti, et postea abdominis frictio cum Ung. Tart. Antimonii, prorsus necessarii fiunt. Quidam fidelis, si fieri potest, ad hoc remedium applicandum eligi debet, quem id ter vel quater quotidie per spatium tertiæ partis horæ quaque vice infricare oportet. Nullus cibus nisi blandissimus permittendus est, isque parva copia tempore aliquo.

Quum omnis irritatio sublata fuisse videatur, parvæ doses alterativæ Submuriatis Hydrargyri exhibendæ sunt cura semper adhibita, ne os afficiatur; et hæc consuetudo per intervalla brevia persequenda est, donec dejectiones colorem naturalem receperint, atque fœtorem insolitum et morbosum deposuerint. Vinum et cardiaca prorsus neganda sunt, dum omnia pyrexiæ indicia decesserint, et intestina ad statum legibus sanitatis consentaneum redierint. Exercitio regularis sub Jove pleno, cum ægerulus pati queat, omnino necessaria est. Vestimenta lanea quam proxime cuti admovenda, strenuissime imperanda sunt. His rationibus institutis curationem sæpe efficere poterimus, cum nobis morbo ad initium obsistere contigit; si vero, in stadiis ulterioribus arcessiti fuerimus, quando destructio organica jam accesserit, et glandulæ ipsæ in suppurationem abierint, spes nulla superest, et optima remedia (piget dicere) optime instituta nihil omnino proficient.

FINIS.